Quelle: https://manuscripta.at/?ID=237
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Fraus et dolus

persecutionum cum exspectatione faciendo. ¶ Set confortando
ad pacientiam et confirmando ac consummando ad perse-
uerantiam. ¶ Ad precedencia non sic continuatur. Ini-
qui narraverunt mihi fabulaciones ingerendo incommodum
vane persuasionis ut averterent a fide. Sed quia non ac-
quievi nec attendi persuasiones, ingesserunt etiam
incommodum inferendo persecutiones ut averterent
me vel saltim impedirent ab opere. Secundum omnes enim
hunc modum et ordinem sic egerunt persecutores cum
martiribus. Primo enim fraudulentas ingesserunt
persuasiones. Deinde violentas intulerunt
persecutiones. Et quia persecutio respicit tam corpus quam animam
proximi et ecclesiam ¶ Ideo fraus et dolus variat perse-
cutores multis modis. Alii enim simulant se persequi
animam non proximi vel ecclesiam, sicut fecit Eudoxia impera-
trix in persecutione Iohannis Crisostomi. Alii proximi non
animam vel ecclesiam, ut in persecutione Thome Cantuariensis.
Alii ecclesiam non proximi vel animam, ut fit in cottidiana
detractione malorum qui dicunt se detrahere non personis
illis vel istis in specie nec causa fidei vel iusticie. Sed cleri-
cis vel religiosis malis in genere. Cum tamen clerici mali
et boni in genere simul faciant ecclesiam. Unde clericis
vel predicatoribus vel monachis in genere non potest detrahi
nisi detrahatur simul toti ecclesie vel ordini vel colle-
gio. ¶ Fraus ergo et dolus persecutorum et detrac-
torum detegitur in eo quod cum a principio et in superficie
persecutionis vel detractionis pretendant odium
persone, in fine et in fundo tendunt ad lucrum
sue rei et ad capitium ecclesie, intendunt odium persone
et detrimentum ecclesie male dicendo et distinguendo
ad invicem animam et proximum et ecclesiam, cum neutrum vel nullum
horum tamen invadi possit et ledi sine preiudicio al-
terius. Unde iniquissime et pessime et dampnosissime
mouentur et locantur contra sancte ecclesie unitatem que
est corpus misticum Ihesu Christi et contra Spiritum Sanctum caritatem
qui corpus ecclesie vivificat et regit et contra
vel cum pretendunt iniquitatem circa ecclesie

persecutores

membrorum ecclesie unitatem et sensibilem ad invicem compa-
ginacionem et compassionem. Qui cum caput vel membrum
aliquod ecclesie universalis vel particularis ecclesiarum persecutionibus
vel detractionibus malorum concutitur et leditur, vel certa-
mine vel voce debite compassionis excusando dicunt
non multum esse curandum nec in contrarium laborandum
contra tyrannos tales, cum negocium tangat proximi non
ecclesias. ¶ Isti cum sint insensibiles et emortui
corde et fide a connexione membrorum sui compassione iam
separati sunt ab ecclesie unitate et corpore, non sencien-
tes nec dolentes dolorem et lesionem commembri
sui, non dum a corpore ecclesie debito iudicio sepa-
rati, quia salva sentencia meliori quamdiu non est aliquis
nominatim et ordinario iudicio convictus et condempnatus
adhuc est de corpore ecclesie et tenentur ei membra
omnia condolere et specialiter capiti ecclesie plusquam membris. ¶ Et
quia predicta persecutio latens et aperta que per fraudem
et dolum allegat et pretendit vel iniquitates
et vel dignum odium persone salva sanctitate et ve-
neratione ecclesie usque ad hoc serpendo crescit quod pau-
latim imminuitur et diminuitur publice status
ecclesie, et principaliter fraus et dolus usque dum erumpat
in persecutiones tyrannidis publice. Ideo hanc
defectionem incommodi conquerens recte subiungit
quod usque adhuc iniqui persecuti sunt occulte quod
tandem publice paulominus consummaverunt et con-
sumpserunt ecclesiam in terra, licet non in celo cum subditur.

Paulominus consummaverunt me

Dicat ergo conquerendo defectionem istius incom-
modi quod paulominus, id est paulatim serpendo et proce-
dendo a parte in partem et deinde a parte in totum,
a persona in collegium, et a membris in caput, vel
paulominus id est parum vel in modico minus quam usque
in totum, vel paulominus id est propinque et fere usque
in totum, insidiose repentine, et occulte insidi-
ando. Primo perfidis persuasionibus hereticorum